

batum prope inspiciat ; nullum in summo discrimine remedium superesse , nisi ut ipse quam celerrime in Syriam contendat . Eo nuntio territus Suleimanus , in belli adversus Persas speciem cum copiis magnis itineribus Aleppum properat : filium statim ad se vocat . Mustaphas , quamvis nonnihil de iis quæ sibi pararentur insidiis , persensisset , atque ab Acmete Bassa , ut salutis suæ prospiceret , secreto monitus fuisset , conscientia tamen , candore , atque innocentia fretus , imperio patris obtemperat ; in castra veniens recta ad regium tentorium tendit . Ibi a mutis nonnullis insigni corporis robore præditis , quos Turcæ in deliciis habere solent , patre spectante , ac iubente , prosternitur ; prostrato nervo guttur frangitur . Eodem momento Suleimani jussu Mustaphæ signifero (*Michaelinum* Turcæ vocabant) illata nex , qui e patricia Michaelium gente Veneta ortus , cum adolescens admodum in Illyrico a Turcis captus esset , Byzantium delatus , Mahumetanaque sacra amplecti coactus , in Mustaphæ potestatem pervenerat ; eique ob præclaram indolem , ac corporis speciem in primis carus , præcipuum inter ejus aulicos locum obtinuerat . Filii vero necem , ratione iracundiam compefcente , Suleimanum poenituisse , atque egregii juvenis interitum ingenti animi dolore flevisse fertur .

Eodem anno pridie nonas julii Eduardus Britanniae Rex sextumdecimum ætatis annum agens excessit , testamentique tabulis Joannam Suffolciam , Henrici patris ex sorore proneptem , Maria , atque Helisabeta sororibus prætermisissis , heredem regni reliquit . Verum is favor , atque omnium regni ordinum , præcipue nobilium ad Mariam Henrici ex Catharina Ferdinandi Hispaniarum Regis filia ortam conversus , atque inclinatio extitit , ut miro omnium consensu ad paternum solium eveheretur ; Northumbriæ Ducis conatibus repressis , qui Suffolciæ favens , in illam tumultus concitaverat , Joanna carceri mancipata , atque Northumbriæ Duce capitali supplicio affecto . Inde Catholica religio in Anglia labefactata , ad pristinum nitorem restitui cœpta , cunctisque injecta spes , ut nobilissimum regnum , hucusque foeda veluti tempestate jactatum , tandem conquiesceret . Venetorum nomine tunc Joannes Michaelius , Jacobo Superantio suffectus , legationis munere

1553

Suleimanus Persicum bellum prærens Aleppum proficiscitur .

Mustaphas Suleimani patris jussu necatur .

Eduardi Britanniae Regis obitus .

Joanna Suffolcia ab Eduardo Regni heres relinquatur .

Maria , Henrici ex Catharina Aragonia filia , ab Anglis regnum deferatur .

Joanna Suffolcia in carcerem traditur . Catholica religio in Anglia restituta .

Joannes Michaelius Senatus nomine . Maria regine gratulatur .